DISSERTATIO MEDICO CHIRURGICA
INAUGURALIS,
DE
EMPYEMATE.

QUAM,

ADNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JACOBI WITTICHII,

A.L.M. ET PHIL. DOCTORIS, EJUSDEMQUE FACULTATIS, UT ET MATHESEOS PROFESSORIS;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu,* & *Nobilissimae* FACULTATIS MEDICAE *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis ritè & legitimè consequendis,

Eruditorum Examini submittit

GERARDUS LE MAIRE,

Leidensis.

Ad diem 6. Septembris 1735. *horâ locoque solitis.*

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud CONRADUM WISHOFF, 1735.

NATALIUM SPLENDORE
INLUSTRISSIMO NOBILISSIMO
SPLENDIDISSIMOQUE

VIRO,

WILHELMO BARONI DE LYERE,

DYNASTAE IN UTROQUE CATVICO, ZAND, KERNISSE; CIVITATIS SCHOONHOVIENSIS SENATORI CONSULARI, EJUSDEMQUE VOTO DELEGATIS INLUSTRISSIMORUM AC PRAEPOTENTIUM HOLLANDIAE ORDINUM ADSCRIPTO, AGGERIBUS, VIIS, LIMITIBUS, RIPISQUE IN RHENOLANDIA, INSPICIENDIS ET SERVANDIS OCTOVIRO; DITIONI CIVITATIS BRAEDANAE PRAEFECTO, URBIS AGRIQUE HEUSDANI SATRAPAE AC MAGNO PRAETORI &c. &c. &c. FAUTORI SUO AETERNUM OBSERVANDO, HONORANDO.

Inauguralem hanc dissertationem omni veneratione & reverentia obfert

GERARDUS LE MAIRE.



DISSERTATIO MEDICO CHIRURGICA

INAUGURALIS,

DE

EMPYEMATE.

SECT. I.

EMPYEMA (ab ἐν intus & πύον pus derivatum,) omnem in genere ſubpurationem, vel etiam puris collectionem in quacunque corporis parte ſignificat: E. G. in liene, rene, hepate, ventriculo &c. Hinc homines tali malo laborantes Empyos id eſt Purulentos ſeu Subpuratos nominare Veteres conſueverunt; in ſpecie tamen a Medicis ſtrictiore ſenſu deſcribitur: *Intra pulmones & membranam coſtas ſubcingentem, in thoracis cavo puris, ſive materiae purulentae collectio.*

SECT. II. Cauſa proxima eſt ipſa materies ex rupta vomica purulenta vaſculiſve diverſimode deſtructis aut ruptis, elapſa, & utraque vel alterutra parte thoracis recepta.

SECT. III. Cauſae antecedentes, quae talem vomicam producere ſolent ſunt 1. Pulmonum adfectus; ſic oritur ab horum inflammatione ſive peripneumonia, de qua Hippocrates hoc modo loquitur: (*a*) *ſi pulmonis inflammatione detentus, diebus*

(*a*) Lib. 1. de morbis.

bus, qui talia decernere creduntur, non purgetur, ſed ſputum & pituita pulmone remaneat, ſubpuratus ſit. A ſputo ſanguineo, ſive ſit ab inflammatione, ſive a vaſorum ruptione, vi aliqua facta, unde poſtea materies purulenta collecta cadit in cavum thoracis. A materie huc delata, ad fluorem inepta, quae tractu temporis in materiem purulentam mutatur; hinc dicit Hipp. (*b*) *Deſtillationes in ventrem ſupernum in viginti diebus ſubpurantur.* His addere poſſemus, juxta magni hujus Viri ſententiam, anginae everſionem ad pulmones, cum ait: (*c*) *Quibus anginam effugientibus ad pulmonem vertitur, in ſeptem diebus moriuntur. Si vero hos effugerint, ſubpurati fiunt.* 2. ab inflammatione pleurae, eodem teſte Hippocrate. (*d*) *Qui pleuritici facti, non repurgantur, ſuperne in quatuordecim diebus, his in ſubpurationem convertitur.* A vulnere levi externe inflicto, citoque clauſo, interne autem rupto: hoc rurſus confirmare videtur Hipp. cum ſcribit: (*e*) *Quibuscumque ſauciatis thorace, foris quidem troma ſaneſcit, intus vero non, periclitantur empyici fieri. Et quibus tenera eſt intus cicatrix, diſrumpitur facile.* Fieri enim poteſt, ut integumenta communia eorumque muſculi ſubjacentes laedantur, vel vulnus eo uſque penetraverit, ut ad pleuram adcedat, hac tamen manente integra; ſi hoc vulnus inquam ſubito externe coaleſcat, contingere poteſt ut inter muſculos intercoſtales pus ſuperſit, & adgregatum, ac magis magisque corruptum, ſibi viam ſternat; illa materies acris facta ſeparat, corrumpit & exedit pleuram, unde tandem delapſa in thoracis cavitatem, Empyema exiſtit. A contuſione hujus membranae, quae, cum in ſubpurationem abeat, hoc malum parit. 3. A diaphragmatis inflammatione, ſi ſubpuretur, & in ſuperiora abſceſſus rumpatur. Narrat hinc JOH. JAC. SCHEUCHZERUS in (*f*) Itineribus Alpinis inſignem caſum cujuſdam Em-

(*b*) Aphor. 38. Sect. VII.
(*c*) Aphor. 10. Sect. V.
(*d*) Aphor. 8. Sect. V.
(*e*) Coac. cap. XVI. Sect. 6?.
(*f*) Pag. 495.

Empyematici, cui, ad extremum vitae periculum redacto, instituta fuit paracentesis duplex, thoracis una, altera abdominis, unde Chirurgus pus extraxit ad viginti mensuras communes Bernenses, rediit aeger spatio circiter septem mensium ad pristinam sanitatem: judicarunt morbi sedem fuisse partem ipsam carnosam circumferentiae diaphragmatis, ex qua aditus patere potuit ad utramque incisionem in thorace & abdomine. 4. A mediastino similiter adfecto; nam aeque ac membrana costas subcingens, cujus continuum est & duplex, inflammari atque subpurari potest, habetque interstitium cellulosum (ut notat (*g*) Heisterus) inter utramque membranam, in quo subinde inflammationes & abscessus oriuntur: sic aliquando in apertis cadaveribus vomica in cavo mediastini reperta est. 5. Tandem ab inflammatione ipsius pericardii; si scilicet abeat in subpurationem, tum aliquando fundit se pus in cavum pericardii, unde letalis cordis tabes existit, vel in lamellam mediastini, qua vestitur & involvitur, vel in cavum thoracis. Quaedam memorabilia Empyematis exempla videre possumus apud Bonetum. (*h*).

SECT. IV. Signa diagnostica varia sunt, variantque pro diversa morbi conditione; alia enim docent Empyema futurum, alia vero morbum jam praesentem & confirmatum.

SECT. V. Morbum futurum praesagimus ex antegressa inflammatione harum partium enumeratarum, neque natura neque arte repurgata, uti ait Hipp. (*i*) *Horum vero locorum dolores, qui neque per sputorum purgationes, neque foecum alvi dejectiones, neque venae sectionem, aut medicamenta purgantia, & victus rationem sedantur, eos ad subpurationem tendere sciendum est.* Sic etiam dicit: (*k*) *Qui autem peripneumonici, diebus criticis non expurgati sunt, sed eos cum delirio exegerunt, tandem exactis quatuordecim morbi diebus, periculum est ne purulenti fiant.* Iterum. (*l*) *Qui pleu-*

(*g*) In Compend. anat.
(*h*) Sepulchret. anat. tom. 1. lib. 2. Sect. VI.
(*i*) Lib. praenot. pag. 41.
(*k*) Coac. cap. XVI. Sect. 27. item Sect. 19.
(*l*) Aph. 8. Sect. V.

pleuritici facti, non repurgantur superne in quatuordecim diebus, his in subpurationem convertitur. Habentque interdiu leves, de nocte vehementiores febres uti Hipp. animadvertit. (*m*) Cum autem interdiu patent magis pori corporis, quaedam materiae morbosae portio a sanguine recepta, & cum eo circulans perspirare posset facilius quam noctu, quia tunc pori magis sunt constricti, secundum Bellin. (*n*) ergo particulae, quae exhalare debeant, libero exitu his occluso, adcumulantur, porosque obstruunt, hinc febris intensior fieri videtur. Porro febris magis adgravatur & calor vagus oritur. Hipp. (*o*) *Circa puris generationes, dolores, & febres magis adcidunt, quam ipso facto.* Et dum materia partes membranosas vellicat, atque distendit, qua cor ipsum adficitur, oritur horror & rigor, quare Hipp. dicit: (*p*) *Qui perhorrescunt crebro, ad subpurationem devenient: quin etiam talium febris ipsos ad subpurationem ducit.* Pro dolore gravitatem seu pondus sentit aeger; pure enim adcumulato pondus augetur. Adest dyspnoea, quia pus locum, quo colligitur, distendit, pulmonis dilatationem prohibet, pulmonemque ipsum officio suo rite fungendi inpotem & invalidum reddit, hinc molesta sequitur respiratio, quod etiam ab eodem Medicorum Principe adfirmatur his verbis: (*q*) *Ante puris eruptionem dolorem oboriri, & spirandi difficultatem, & sputi excretionem necesse est.* Adpetitus prostratus est. Quia in corpore tali causae ad bonam ciborum subactionem, & in inquilinos humores commutationem requisitae deficiunt. Debilia enim evadunt solida in genere, nec pulmo a pure compressus aptus est officio suo peragendo, unde a sanguine minus bono etiam secernuntur humores desciscentes ab indole, quae in sanis aderat, & requirebatur, ut eorum admistione alienis ingestis humanitatis character inprimeretur. Sitis major adhuc manet; & sine ullo levamine multum sudoris ex-

(*m*) In Coac. Cap. XVI. Sect. 33.
(*n*) De Morb. pectoris.
(*o*) Aph. 47. Sect. 11.
(*p*) In coac. Cap. XVI. Sect. 60.
(*q*) Lib. praenot.

exhalant aegri. Quamvis haec ſymptomata, rupto jam abſceſſu, pro tempore ſedentur, brevi tamen poſt iterum oriuntur, ex quibus certo cognoſcitur praeſens jam eſſe Empyema.

SECT. VI. Signa autem, quae declarant morbum praeſentem, licet multifaria, praecipue ſequentia ſunt. Si conſideremus tempus, quo inflammatio in alicujus parte thoracis exorta eſt. Ruptio enim purulentae vomicae vigeſimo die ſaepiſſime facta eſt: hoc docet experientia, hoc monet Senex noſter. (*r*) *Quibus initio dolor eſt fixus, & contumax, unaque difficilis reſpiratio ac tuſſis cum ptyaliſmo, ad vigeſimum diem eoque celerius, ruptionem expecta.* Cognoſcitur ille morbus ex ſignis vomicae in thoracis partibus repente diſparentibus, uti patet ex Hipp. (*s*) *Quibus tumores &c. adparent &c. his autem derepente disparentibus &c. iis aut lateris dolores acuti, aut ſubpuratio.* Adpetitus dejectus & chyli diſtributio corrupta eſt; hinc Hipp. (*t*.) *Quibus a dolore lateris collapſa ſit adpetentia cum cardialgia &c. iis Empyemata ſunt in pulmone.* Sitis eos frequenter vexat. Inprimis obſervatur difficilis adhuc reſpiratio, ideo quod aegri juſtam aëris quantitatem adquirere non poſſint, haec difficultas eo gravior eſt vel levior, quo major vel minor eſt collecta materies, adcumulatio enim in cavo thoracis facta, pulmonis extenſionem inpedit. Illa ſpirandi moleſtia valde augetur, ſi verſantur in aëre calido, vel magna hominum frequentia, inprimis ubi foco vel hypocauſto incaluere. Difficilior fit reſpiratio, quando Empyematici illi decumbunt, tunc enim totus pulmo magis premitur; haec etiam contingit a calore lecti & ab exercitatione corporis. Adeſt tuſſis moleſta, ſaepe repetita, ſicca; acris enim materia fibras nerveas vellicat, hinc tuſſiendi conatus, licet nihil fere exſpuatur; exſpuunt aliquando quidem materiem putridam, ſed tum pulmo plerumque exeſus eſt. Si violentior ſit tuſſis, ſtriae ſanguinis adparent. Sentiunt aegri gravitatem pectoris, praeſertim ad diaphragma, & materiae flu-ctua-

(*r*) In coac. cap. XVI. ſect. 36. Confer. Aph. 38. ſect. VII.
(*s*) Aph. 65. ſect. V.
(*t*) In coac. cap. XVI. ſect. 61.

ctuationem, quae hinc inde minimo motu pellitur. In latere adfecto commodius quam in ſano recubant, quia pulmo a mediaſtino materiae pondere magis comprimitur, hinc difficilius extenditur, ergo magis difficilis reſpiratio. Haec autem fluctuatio locum habet quando cavitas non omnino inpleta, neque materies nimium craſſa eſt. Reperitur aliquando aut pectus dextrum ſiniſtrumve aliquomodo diſtendi vel protuberare, ut ipſi muſculi intercoſtales & coſtae a materie tumeant, aut tumorem in latere adfecto plerumque oedematoſum adparere, ex tenuiore materiae collectae portione, in thoracis muſculos reſudante, quemadmodum obſervat Riverius. (*u*.) Febricula ſemper adeſt continua, lenta, putrido-hectica; pus enim concoctum, nempe ſatis adhuc fluxile, ſanguini miſcetur, & cum continuo lenteque exſudet in vaſa ſanguinis, hecticae febris cauſa exiſtit. Id etiam Empyicis proprium eſt, ut genae florido rubore perfuſae ſint. Hoc utrique genae evenit ſi in utraque; alterutrae, ſi in alterutra pectoris parte collecta ſit materia: nam invaleſcente morbo, pulmo a pure magis comprimitur, ſanguis influere nequit, ſed ſubſiſtit in ramis venae cavae ad faciem, unde partes ejus rubeſcunt. Familiare porro eſt Empyis, ut, ingraveſcente morbo ſudorem profundant copioſum, praecipue quando in lecto decumbunt; ſudor ille eſt qualis in phthiſi, colliquans, corpusque arefaciens, ſaepe terream & arenoſam relinquens materiem, exteriori epidermidi firmiter adhaerentem, haec materia terreſtris non in aqua diſſolvitur, indicio quod ſimul cum particulis ſolitis exſudet quidquid terreſtre eſt in corpore, & ſoliditatem habet. Perſentiunt in ore foetorem cadaveroſum. Oculi excavantur, haec vero ſigna morbum vergere ad tabem denotant: tunc enim partes per abſumptionem extenuantur, minor fit ipſarum moles, & hoc decrementum iis in partibus magis obſervari poterit, quae duris & inmobilibus terminis circumſcribuntur, cujusmodi ſunt oculi, dura atque immobili orbita oſſea circumſcripti. Digiti in extremitate calleſcunt, & livent. Ungens recurvantur. Deficiente ſcili-

(*u*) Cap. IV. de Empyemate.

ſcilicet nutrimento exſiccantur, partes carnoſae abſumuntur, hinc ungues nudae adparentes inflecti videntur. Tumet abdomen. Prae puris gravitate ac pondere diaphragma preſſum conprimit viſcera ſubjacentia, iisque conpreſſis abdomen extenditur. Pedes tumeſcunt ex debili ſanguinis circulo, ſerum non propellente, quippe quod partes eae a corde longiſſime abſunt. Puſtulae totum pectus, inprimis latus adfectum perreptant. Cum autem tractu temporis pus intus putridum & acre factum, in ſubtiliſſimas partes diſſolutum, membranas ſubeat & tranſudet, poterit ad cutim uſque penetrare, & quidem inſignem in molem, vel huc illuc in minores maſſulas colligi. Haud raro gangraena corripiuntur Empyici, tunc vero morbus ad mortem vergit. Haec igitur omnia adſunt, ſed ſubceſſiva, & quo diutius morbus protrahitur, eo ſymptomata graviora adparent.

Sect. VII. Ex recenſitis ergo ſatis effectus patent, pus enim ex ulcere ruptum, nec dein repurgatum continue adcumulatum, partes diſtendit, dyſpnoeam adauget, ita ut aegri ſe brevi ſubfocatum iri vereantur. Et quia materies haeret in loco calido, clauſo, humido, ac continue agitato, ubi diu retinetur, acris fit & corrupta, putreſcit, adtenuatur, foetet, vaſa rodit, dilaceratque & viam per pulmones quaerit, unde, ſolutione continui facta, ſputum ejicitur purulentum, foetidumque, partes in thorace contentas macerat, corrodit, in tabem fluidam conſumit, febres hecticas cum ſymptomatibus ante enarratis producit, quia hic humor acer & putridus cum humoribus circuitum obeuntibus communicatur, novum chylum cum ſanguine adlatum convertit & corrumpit, totum acrem & ineptum ad nutritionem & ſecretionem facit, (hinc tabes & atrophia, fibrarumque reſolutio) erodit & exedit minima corporis vaſa non modo pulmonum partiumque his vicinarum, ſed & hepatis aliorumque abdominis viſcerum, unde his tam deploratis hominibus & ad extrema redactis evenit diarrhoea purulenta, colliquativa, tandemque huic tragoediae finem inponit placidiſſima mors.

Sect. VIII. Sic vidimus quanta ſit malorum turba, ex hoc fonte ſuam derivans originem, unde his omnibus rite perpenſis, quam

quam facillime colligi poteſt, periculoſiſſimum & ſaepe letalem eſſe morbum, utpote phthiſi haud raro conjunctum. Sed ut ipſa prognoſis magis inluſtretur, adtendendum eſt ad ſigna, quibus dignoſcimus, an aegrum evaſurum ſpes ſit, vel an anceps ſit expectandus eventus, vel denique an morbus ad mortem tendat. Haec vero praecipua, locis ex Hippocrate deſumtis adſerere nobis lubet, adpoſita enim ſunt verba graviſſimi hujus Auctoris: (w) *ſuperſunt autem ex morbo hi potiſſimum, quos febris eodem poſt ruptionem die dimiſit, quique cibos celeriter expetiverint, & ſiti liberantur, venterque tum exigua, tum coacta dejicit, & ſi pus album & laeve, ejusdemque coloris fuerit, & a pituita liberum, citraque dolorem aut tuſſim vehementem educatur. Sic quidem optime & celerrime liberantur, ſin minus, qui adiſta proxime adcedent. Moriuntur vero, quos febris non dimiſerit, aut cum dimiſiſſe videatur, iterum adcenditur, & ſiti quidem vexantur, cibos vero non expetiverint, & ſi alvus liquida dejecerit, pusque ex viridi pallidum & lividum, aut pituita permixtum & ſpumoſum exſpuerint. Si haec omnia contigerint, moriuntur. At quibus eorum partim quaedam contigerint, partim minime, ex his nonnulli quidam intereunt, quidam etiam ex longo temporis intervallo ſuperſunt.* Si adcidat ut pus ſatis copioſum per alvum vel urinam validis viribus exiſtentibus, juſto tempore, & ante quam labes magna partibus inducta eſt, expurgetur, felicis ſucceſſus ſpem praebet. Sic memorabile ſcio exemplum adcidiſſe cuidam puellae, cui dum Empyemate aegrotabat, magna puris copia, per pudenda, magno cum impetu profluebat, ea dein omnino inmuni manente ab hoc hoſte. Verum ſi pus, rupta vomica, quadraginta dierum ſpatio non expurgetur, malum portendit omen. Sic Hipp. (x) *Quibus in pulmone ſit Empyema, ii quadraginta diebus a ruptione pus expurgant: ſed iis fruſtra exactis, tabidi fere redduntur.* Sed hoc ita inter ligendum eſt, ut non opus ſit, aegrum quadrageſimo die plane ab omni pure liberatum eſſe, ſed ſubficiat, ſi eo tempore tanta ejus copia rejecta ſit, ut reliquiae exiguae, quae ſuper ſunt, facile poſtea eva-

(w) Ex lib. praenot. pag. 41.
(x) In Coac. Cap. XVI. ſect. 42.

evacuare possint, cujus tamen evacuationis certus terminus definiri nequit, ut Sennertus recte adnotavit. (*y*) Quo puris copia minor est, eo melior, & e contrario. Hipp. (*z*) *Inter Empyicos, quibus, concussis humeris, multus sit strepitus, parcius illi pus habent, quam quibus exiguus, modo spirent facilius, & melius sint colorati. At quibus ne minimus quidem infertur, sed fortis dyspnoea, lividique ungues, pleni sunt illi pure ac desperati.* Periculosius etiam malum censetur, si pus utramque thoracis cavitatem occupet, quam si in altero solum latere contineatur, hinc dicit Galenus: (*a*) *Quibus in magna puris copia intra thoracem, & pulmonem collecta, thorax in respiratione adtollitur, celerrime subsocantur.* Infaustum est praesagium, si Empyi, cum fere expurgati videantur, sputum foetidum emittant, quod Hipp. ita expressit: (*b*) *Quibus purulentis mitiora sunt omnia, si postea pus edant foedi odoris, iis recidiva mortifera.* Expurgata quidem est puris quantitas, sed sputum foetidum detegit genitum esse ulcus intra pectus, aut pulmones, ex quo & novum pus creabitur, unde in Empyema relapsus aeger, propter partis corruptionem moritur. Liberatur aliquando hoc morbo laborans, per Paracentesin, sed tum bonum sortitur eventum, cum pulmo vel nihil, aut parum infectus est, tunc autem pus debet esse album, aequale, non putridum. Hinc dicit Hipp. (*c*) *Qui subpurati uruntur, aut secantur, si quidem purum effluat pus & album, evadunt, si vero subcruentum, & coenosum, ac graveolens, pereunt.* Et: (*d*) *Quibus a pure coloratur specillum, tanquam ab igne, maximam illi partem intereunt.* Insanabile porro est Empyema, ubi etiam adest Phthisis, vel Febris Hectica, si sudores ut ante memorati; Diarrhoea & alvi colliquans solutio; si major Anxietas; Respiratio brevis & labo-

(*y*) In med. pract. lib. II. cap. XIX.
(*z*) In coac. cap. XVI. sect. 70.
(*a*) De loc. aff. cap. VII.
(*b*) In coac. cap. XVI. sect. 44.
(*c*) Aph. 44. sect. VII.
(*d*) In coac. cap. XVI. sect. 48.

boriosa; si Palpitatio Cordis, Syncope, Leve Delirium, Facies Livida, Pedes tumidi; Haec sive conjunctim, sive seorsum sint, declarant Empyema mortem secum adtrahere, quo in casu ipsa encheiresis frustra adhiberetur.

SECT. IX. Ut igitur Curatio rite instituatur, animus advortendus est ad haec sequentia: 1. Ut tecta vomica, suis propriis signis (Sect. V.) cognita, quantocyus rumpatur, & ad exteriora determinetur. 2. Ut Delapsum pus, (Sect. VI) cavum thoracis occupans educatur. 3. Ut Fons puris tollatur, detergendo, mundando, consolidando, vires instaurando.

SECT. X. Quod pertinet ad primum scopum, ne pus postea in pectoris cavum cadat, lateri adfecto, (e. g. si vomica sit pleurae) adplicetur cataplasma emolliens, ex malva, althaea, liliorum alborum bulbis, farina lini, avenae, butyro insulso, melle, unguento althaeae, aut simili compositum & praeparatum, ut hac ratione locus tenuis & mollis reddatur, atque abscessus extrorsum pellatur. Si per biduum aut triduum tuber non adsurgat, docent nos Magni Viri, ut locus incidatur, vel inuratur, escharaque scalpello aperiatur, immo corrosivis vulnus profundius reddatur, tunc si haud nimis profunde haereat apostema, fit aliquando, ut pus extrorsum adliciatur, & foras emittatur. Si non succedat, nihil tamen nocet, idcirco facile suscipiendum est. Ulcus a pure depuratum, ut simplex vulnus curatur.

Verum, si signa docent, factum esse in pulmone abscessum, tentandum est, quantum fieri potest, ut ejus disruptio in asperam arteriam adceleretur & promoveatur, nam quo citius rumpitur, eo minus pulmo & ejus functio patitur damnum: hoc autem peragitur, si aegro, (postquam victu leni, vaporibus emollientibus, maturantibus, atque leniter tussim moventibus, usus est,) porrigantur cibi molles, pingues, donec ventriculus sit repletus, superbibendo vinum forte, tunc, (quoniam ventriculus plenus diaphragma sursum pellit intra pectus,) pulmo comprimitur, si hauriat aeger vaporem aceti, ut tussiat, vel fiant concussiones clamando, cantando, rheda vehendo, ut paulo concutiatur, spes est fore, ut abscessus in bronchiorum cavarum-

rumpatur, & pus foras per os eliminetur. Licet haec methodus ſubinde fruſtra adhibeatur, tamen haud omittenda nec contemnenda eſt. Hac ratione Aurigae cuidam, vomica pulmonis, ex praegreſſa peripneumonia, laboranti, bono cum ſucceſſu opem adtuli; abſceſſus enim, dum per vias ſuo curru vehebatur, rumpebatur, ac proruebat per aſperam arteriam pus, ſatis copioſum, album, & bène coctum, ut dicunt; attamen domum redux valde erat defatigatus, ſed ab eo die febris ceſſabat, neque deinceps obnoxius erat iis incommodis ac malis, quae febrim antea comitabantur: donec tractu temporis, bene repurgatus, priſtinae reſtitutus fuit ſanitati, adhuc integra ac vegeta fruens valetudine.

SECT. XI. Pus cavum thoracis occupans educitur 1. Per vias quas exhibet natura. α. Per os. Si ſputum & frequentior tuſſis indicent materiam hanc quaerere viam, expectoratio promovenda eſt. 1. Lubricantibus. 2. Titillantibus. 3. Utrumque ſimul agentibus. Ut viae lubricentur, conveniunt aquoſa, oleoſa, mucilaginoſa, quem in finem adhibeantur vapores ex aqua vel lacte dulci, qui infundibili ope in fauces hauriantur, ut cum aëre ad pulmones deveniant. Decocta ex malva, althaea, parietar. &c. ſyrup. jujub. alth. capill. ven. his addere poſſumus oleum amygdal. dulc. vel lini recens expreſſum, ſperma ceti. Emulſiones ex hordeo, avena, amygdal. dulc. ſem. quatuor frigidis &c. Titillantia praeſcribenda ſunt, ut tuſſis excitetur, & pus expellatur, qualia ſunt vapor aceti, oxymel ſimplex & ſcilliticum, nitrum, rad. iridis, ari, angelicae &c. praecipue conducunt quae titillantia ſimul & lubricantia ſunt, veluti rad. foenic. helen. irid. florent. glycyrrh. herba ſcabios. heder. terreſt. hyſſop. ſem. foenic. aniſ. ſaponacea, gummoſa & reſinoſa, ut ſapo venetus, ſaccharum, mel, terebinthina, olibanum, myrrha &c. quorum uſu viae lubricantur & laevigantur, materies, ſi acris ſit, mitigatur, ſi craſſa, inciditur, adtenuatur, atque commode expurgatur. . Per diureſin ſi puris veſtigia in urina adpareant, vel dolor ad lumbos, & ſpecies ſtranguriae indicent huc vergere materiam, profunt blanda aperientia lubri-

cantibus ſociata, ut rad. bardan. gramin. foenic. petroſ. aſparag. herb.virg.aur. ſem. urtic. ſyr. quinque rad. ap. balſ. copaiv. & ſimilia. γ. per alvum. ſi niſus ſit ad inferiora, & natura per alvum ſe exonerare conetur; quando flatus & borborygmi ſuboriantur, venter fiat magis lubricus, & aeger non debilitetur, lenia alvum ducentia, eccoprotica dicta requiruntur, veluti manna, caſſia, tamarindus, cremor tartari, immo clyſmata ex ſero lactis & herbis emollientiſſimis parata, & cum iſtis eccoproticis commixta, injicienda ſunt. Si vero natura eas evacuationes non tentet, neque aeger his ſimilibusve remediis ad puris excretionem deveniat, tunc unica ſpes eſt, ſi ejus vires permittant, ut pus educatur, 2. Per thoracis aperturam.

SECT. XII. Iſta operatio chirurgica, quae Paracenteſis vocatur, eſt: *Inciſio in alterutro pectoris latere, inter duas coſtas, ad ejus cavitatem uſque, ad materiam intus collectam educendam, facta.* Ne ergo ea chirurgia inutilis ſit, inſtituenda eſt commodo in loco, ut pus ex artis praeſcripto effluere poſſit. Duo ſunt loca, ubi potiſſimum operationem adminiſtrare debemus, alter eſt locus neceſſitatis, alter vero electionis.

SECT. XIII. Per neceſſitatis locum intelligitur E. G. ſi certi ſimus pus ſub ſterno, intra duplicatum haerere mediaſtinum, evacuandum eſſet trepano in ea oſſis pectoris regione inſtituto, ubi dolor & gravitas ſemper ſentitur, poſtquam (facta decuſſatim inciſione) os eſſet denudatum. Sic, ſi tuber extus ad thoracem exiſtat, factus ex pure, quod pleuram & muſculos intercoſtales exedit, opus eſt, ut apertura in tumoris convenienti loco fiat. Talis mihi inter varios notabilis occurrit caſus. Vir nempe viginti ſex annorum, ſub oras Brittanniae haleces captando victum quaerens, ſaeva corripiebatur pleuritide, quae, nullis remediis ante quintam diem adhibitis, in ſubpurationem abibat; ſexta poſt morbi invaſionem hebdomade advocatus fui, ex aegri querelis, & tuſſi frequenti, dyſpnoea, oculis excavatis, febrique, ſtatim animum ad thoracis adfectum adplicui, corpus illius denudavi, & totum pectoris latus dextrum diſtentum, inflammatum, inſignique vexatum dolore, inveni, emol-

liens-

liens igitur impoſui cataplaſma, & poſt biduum tumorem aperui, ſcalpello in eminentiorem eandemque inferiorem partem adacto, ſtatim ſatis copioſum, coloris ſubcruenti, tanto cum foetore, ut eo tota quanta cella inficeretur, proſiliit pus; haec materies ſanioſa, ac tam teterrimum in modum olens, mihi ſiniſtrum portendere videbatur omen, eo magis quod tam putridam quoque per ſputum reddebat aeger materiam, hinc judicavi corruptionem partes thoracis contentas, praecipue pulmonem adripuiſſe, quare, magnam ob putredinem, foramen pectorisque cavitatem aqua, vino ac melle roſaceo permixta, ope ſyringae elui, decoctum traumaticum & putredini reſiſtens eum ſumere juſſi, quo facto, ceſſavit de die in diem febris, iterum adpetiit cibum, adeo ut ſpatio viginti quatuor horarum, praeter alia eſculenta, quatuor aut quinque immo aliquando ſex panis libras, ſine ullis incommodis, avide devoraverit, ſemper eſuriens. Interea corruptis integumentis circa aperturam ſeparatis, duae coſtae, tertia nimirum & quarta ab inferioribus, adparebant, fuſco colore tinctae, ac penitus carioſae factae, quas inter dexter pulmo ſe oculis ſubjiciebat, pars altera coſtarum, ſcilicet inferioris, magnitudine annularis digiti, intra ſeptem menſium ſpatium ſejungebatur, altera vero priori longe major, poſt annum elapſa eſt, tunc ſtatim ulcus coaluit, atque cicatricem valde profundam reliquit, locus coſtis orbus, a natura, temporis progreſſu, oſſea ſubſtantia repletus eſt. Poſtea tamen ipſi per intervalla contingebat puris exſcreatio, ſed aeger noſter ex nauta factus auriga, adeoque quotidie currui, victus gratia, inſidens, tali ſputo liberatus eſt, hinc pulmone ſenſim majus adepto robur, poſt biennium a morbi initio, penitus convaluit, immo uſque in hunc diem ſanus ſoſpeſque vivit. In hoc & variis hujus naturae caſibus nunquam adhibui turundas, quia foramen ſatis manet apertum, & nonnunquam fit majus, propter partium externarum inflammationem & ſubpurationem, ac lente plerumque & difficulter cicatrice obducitur; ſatis eſt, ſi modo ulcus plumaceolis tegitur, ſic enim non prohibebitur puris exitus, neque contuſio, neque irritatio partium fiet inter-

narum, nec ulcus tam facile in thoracis fistulam degenerabit.

SECT. XIV. Sin autem nulla adparuerint tumoris signa, sed tamen pus in thoracis cavo haerere confirmatur, locus perforationi idoneus eligitur, semper adtendendo in qua pectoris parte materia delitescit, quod etiam Hipp. admonuit, cum scribit: (*e*) *Quod si in altero tantum latere subpuratio fuerit, tum vertere, tum ediscere ad haec convenit, num dolor aliquis alterum latus detineat & num altero calidius fuerit, atque ubi in latus sanum decubuerit, interrogare si quod ei pondus desuper impendere videatur: sic enim altero latere, in quo pondus extiterit, subpuratio est.* Latere cognito locus excogitandus, qui aptissimus est ad puris retenti exitum promovendum. Hic locus a nonnullis ad inferiorem eandemque posteriorem lateris adfecti partem sumitur, quia huc versus materies confluit, minusque subest periculum; ne internae partes a perforatione laedantur, hinc sectionem commendant fieri debere inter secundam & tertiam costam ab inferioribus numerando; verum quidam animadvertunt, quod aliquando diaphragma pleurae adnectatur eo in loco, ubi tertia & quarta costa existunt, immo & interdum superius; quare operatio plerumque instituitur inter costam quintam & sextam, vel quartam & quintam ab inferioribus numero ducto, ad latitudinem circiter quinque digitorum transversorum a spina dorsi. Loco ergo electo, & atramento prius notato, aeger firmiter retentus, dorso lucem versus obponitur, dein Chirurgus, utroque pollice & digitis prioribus, cutim adtollit, eamque sustinere famulum jubet, dum ipse interim laeva manu hanc cutim elevat, tum scalpello chirurgico, quem dextra tenet, integumenta perscindit, hoc facto, aegrum se in alterum recurvare latus monet, ut costae paulo magis a se invicem recedant, aliaeque partes plus distent, tunc intercostales musculos ad pleuram usque inscindit, sectionem recta a superioribus deorsum dirigendo, ne vasa laedantur, in sulco inferioris harum costarum marginis jacentia, vitandae insuper sunt costae, ne illae, aut earum periostium, offen-

(*e*) In lib. praenot. pag. 42.

offendatur; his peractis, scalpello linteo obvoluto, ut tantum parva cuspidis pars promineat, summa cum cautela, ne pulmo adsciatur, pertundit membranam costas subcingentem, & se in cavum pervenisse thoracis, ex effluente materia comprehendit, tum instrumentum chirurgicum eximit, digito immisso, explorat an apertura satis sit lata, ut collecta colluvies exire possit, praeterea inquirit an pulmo adcreverit sit pleurae; si hoc sit, nil agendum est, licet Galli commendent pulmonem ipso digito separandum a pleura, sed quia haec dilaceratio inflammationem & subpurationem creare potest, prudentius erit alium eligere locum, ubi operatio iterum perficienda est. Pus per vices educitur, ut mortis periculum praeveniatur, quare Hipp. dicit: (*f*) *Qui subpurati uruntur aut secantur, hi pure aut aqua acervatim effluente omnino moriuntur.* His omnibus rite praestitis, claudit Chirurgus suo pollice foramen, tunc aegrum profunde inspirare jubet, atque aërem tam diu retinere quam possit, si hunc diutius perferre nequeat, tussire jubet eo momento, quo nisus adest tussiendi, removet pollicem, atque sic vulnere aperto, aër ingressus saepe cum sono exit, tunc mox apertura plumaceolis, digestivo aliquo illitis, clauditur, emplastrum adponitur, spleniis superpositis, quae fasciis, vel ope mantilis retinentur, donec iterum deligationis solutio requiratur, quod aliquando semel, bis aut pluries intra viginti quatuor horas ob materiei quantitatem vel qualitatem fieri debet: sic pergendum est, usque dum pus non amplius profluat, tunc enim statim opem adhiberi decet, ut vulnus coalescat.

Duo praesertim sunt inpedimenta quae aliquando puris exitum prohibent, quorum alterum est pulmo, qui foramen obturat, ne pus egredi queat, eo in casu, stylo obtuso, vel flexili cathetere intro premitur pulmo, ut liberum fiat puris effluvium: alterum est materia ipsa, quae prae nimia crassitie sponte exire non valet, tum aeger in partem laesam se convertat, & tussiat, quod

(*f*) Aph. 27. Sect. VI. confer. Aph. 51. Sect. II.

quod ſi non procedat, tepidus liquor, ut aqua cum melle, ſiphonis beneficio injiciatur; ſemper vero id agendum, ut materia per vices, ſicut antea monuimus, evacuetur, aërisque introitus & mora quantum fieri poteſt, prohibeatur.

Nonnulli ſuadent ſtatim poſt ſectionem cannulam inmiti debere argenteam, cujus apertura operculo clauditur, ut tantum puris exhauriatur, quantum opus ſit. Haec cannula magnitudine vulneri reſpondet, &, ne in thoracis cavum cadat, habet caput, ab utroque latere foraminulo perforatum ad taeniolae tranſitum, qua corpori adligatur, ut exire nequeat; ſi coſtae a ſe invicem haud ſatis diſtent, cannula haec quodammodo aequata, ac non ſolum per ſuam longitudinem perforata, ſed etiam ad finis latera duobus foraminulis praedita eſſe debet, ut pus facilius exiliat. In caeteris, aeque ac ante expoſuimus, agendum eſt: ne autem cannula nimis diu in vulnere relinquatur, cautio ſit, quum alias fiſtulae metus eſſet, quam ob rem ante quadrageſimum diem removenda eſt.

Si in utraque thoracis cavitate collectum ſit pus, in utroque latere inſtituenda eſſet apertura, non vero eodem die, nec uno eodemque tempore deliganda & aperienda ſunt vulnera, ut nimia aëris externi preſſio in pulmones evitetur, qua magnum reſpirationi adcederet incommodum.

SECT. XV. Fons puris tollitur medicamentis tam externe quam interne adhibitis. Eum in finem conveniunt diluentia ſimul & abſtergentia, quare aqua hordei cum melle, ſiphonis ope injecta, ſubficiat, ut colluvies repurgetur: ſi putredo adſit, addere poſſumus vinum, & paululum nitri vel ſalis marini, vel injiciatur decoctum abſtergens ex ſcabios. hyperic. roſis ſiccis, cum vino ac melle roſaceo permixtum. Talia pro interno uſu exhiberi poſſunt remedia, quae ſanguinis acrimoniam corrigunt & temperant, ac putredini reſiſtunt, veluti Decocta ex rad. ſarſaparill. chinae, bardan. glycyrrhiz. conſol. maj. rub. tinct. ex foliis & herbis tuſſilag. ſcabios. beton. veron. agrimon. heder. terreſt. hyſſopi, ſimilibuſve, melle addito, vel convenienti ſyrupo. Si alvus ſit nimis ſtricta, lenibus eccoprocticis, ut man-

na,

na, caffia, mollitur, hanc ob caufam terebinthina, quod Medicamentum faepe leniter purgat, prodeft. Apertura in thorace facta demum curanda eft ut vulnus fimplex.

SECT. XVI. Tandem, ad curationem recte perficiendam, neceffe eft, ut diaeta praefcribatur aegro congrua. Aër fit temperatus. Cibus praecipue confiftat ex farinofis & lacticiniis, fic praeparentur pultes ex hordeo, avena, oryza, milio, & exigua vini quantitate, ut vires inftaurentur. Convenit lac afininum, caprinum, vaccinum. Sic etiam corpus refocillare poffumus jure carnium juniorum animalium, in quo olera quaedam ut cherifol. endiv. cichor. lactuc. acetos. &c. incoquuntur. Potus conveniens eft lac aqua dilutum, vel emulfio ex hordeo, avena, amygdalis dulcibus praeparata. In motu & quiete virium ratio eft habenda. Retenta & excreta modum fervent. Animi pathemata fint tranquilla, praefertim ira ac triftitia fugiantur.

Sic, Lector Benevole, Empyematis hiftoriam & curationem breviter expofui, cujus materiae tam ordinem quam ftylum nec eleganter nec Latine fatis tractaffe me lubens meritoque confiteor, fed mihi a juvenili aetate humanioribus imbui literis non contigit; hoc fcribendi genus, & obvia paffim errata, aequi bonique confulas, rogo, quo candore fretus huic differtatiunculae inpono.

F I N E M.



VIRO

EXPERTISSIMO AMICISSIMO

GERARDO LE MAIRE,

Medicorum ordini solemniter adscripto.

Ergo te medicâ caput coronâ
Ornatum video, Gerarde, tandem?
Sic decet. Labor inprobus, tot annos
Quem Machaonis artibus dedisti,
Non suo poterat carere fructu:
Effulges meritis honoribusque,
Praemiisque, manu benigniori
Quae Phoebus tibi largiter rependit.
Phoebus ille pater lyrae, & medentum,
Qui suo tua numine & furore
Inplet carmina, Belgicosque lusus;
Sed qui praecipue ferenda lege
Naturae mala corpore in caduco
Te nosse edocuit, salubribusque
Herbis omne genus fugare morbos.
Testes tot miseri, tot ante & aegri,
Quîs febres, variosque quîs dolores,
Quin & vulnera saepe sustulisti;
Testis parvulus hic tuus libellus,
Quo nil certius, eruditiusque
Tetrum pellere monstrat Empyema.

Per-

Perge, namque potes, Perite; perge
Cautà tollere quidquid eſt malorum
Morborumque manu, pericla vitae
Aufer ipſa valentibus medelis.
Sic mors nomine jam tuo tremiſcens
Majorem ſibi non fuiſſe, quam te,
Confitebitur & dolebit hoſtem;
Tu laetabere, poſtque fata vives,
Doctorum volitabis & per ora.

Franciscus Burmannus.